





cit, indigentibus Mammona, Rape ab indigentibus. Ille, pius esto, & mansuetus, & crudelis, & immanis.

22. Contrarietates, diversitatesque multas inter Deum, & Mammonam ponderat optime, atque describit D. Bonavent. in presenti sermone. 1. in Dom. 14. post Pentecost. O quam dissimiles, ait, sunt isti duo domini, Deus, & Diabolus. Primus enim est suavissimus, juxta illud: Suavis est Dominus uniuersis, Psalm. 54. n. 9. Secundus crudelissimus, teste Propheeta: tradam eum in manu domino: uniuersum crudelium, Isai. 19. num. 4. Deo seruitur, flendo per poenitentiam, Diabolo, ridendo per lasciuiam. Unde ait Christus Dominus; Plorabit, & si bitis uos, mundus autem gaudebit, Joan. 19. num. 20. Deo seruitur vigilando in custodia contra Diabolum, Diabolo seruitur, dormiendo in negligentia contra Dominum. Hinc Apostolus ait: Non dormiamus sicut ceteri, sed uigilemus, & sobrii simus, 1. Thessal. 5. num. 6. Deo seruitur, ascendendo de uirtute in uirtute usque in celum; Diabolo, descendendo de uirtute usque ad infernum. Ascendunt montes, & descendunt campi, Psalm. 183. num. 8. Et illi quidem ascendunt usque ad celos, & isti descendunt usque ad abyssos. Cum ergo nemo possit duobus dominis seruire, repudiemus alterum, scilicet Diabolum, ut soli Domino seruiamus.

23. Præclare Rupertus lib. 6. de gloria, & honore filij hominis, aliam considerat hic contrarietatem. Et ait: Non potestis, Deo seruire, & Mammona. Hi enim sunt duo domini ualde sibi contrarij sicut ueritas, & mendacium. Mammon autem princeps hujus mundi, falsus est dominus, & inique dominatur, & omnia mentitur. In Deo tantum est summa ueritas; in diuitiis falsitas, ac mendacium: ergo Deus, & diuitie contrariantur, ut ueritas, & falsitas; ac proinde Deo, & diuitiis simul homo seruire non potest; nam qui ad ueritatem accedit, à falsitate recedit: & qui mendacio incombuit, à ueritate separatur omnino. Et inquit Rupertus: Mammon princeps hujus mundi falsus, nam apud Idololatrias antiquos erat quædam pecuniarum Dea, quæ inter Divo colebatur, cujus meminit Cicero lib. 2. de natura Deorum, de qua aliquid dicam quæst. sequenti.

24. Optime totus hic decursus confirmatur ex uerbis Jacob. 4. num. 4. Quicumque ergo uoluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur. Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? Quia uerba bene componit cum nostro texto: Nemo potest duobus dominis seruire. Didymus. Et sic ait: Qui peccando amat mundum, inimicus Dei esse monstratur; sicut è diverso, qui non peccando amicitias apud Deum pietate confirmat, continuo mundi aduersarius inuenitur. Unde sicut impossibile est, seruire Deo, & Mammona, ita amicum Dei esse simul, & mundi.

QUESTIO VI.

Quare hic Christus potius uatur nomine Mammona, quam alio? Et quid sit seruire Mammona?

25. Hieron. NOMEN Mammona ualde grauidum est lenibus. Significat, teste Divo Hieronymo

hic, Syriaco sermone diuitias. Et, ut contendit Franc. Luc. optime Franciscus Lucas, à radice Syriaca Mammona denotat lucrum, seu omne id, quod ad substantiam, seu pecuniam pertinet, Corne. De Etymologia nominis mammona. Cornet.

Deus Irenæus lib. 3. cap. 10. Mammonas idem ualere dicit, ac cupidum. Scholiastes autem Irenæi citato loco; Mammona deducitur ex nomine Hebræo Mam, hoc est, macula; & ex nomine Hon, id est, opes. Ut Mammona idem sit, ac macula diuitiarum. Nam ipse diuitias, nimia cupiditate retentæ, ac absconditæ, in anima maculam generant; erogatæ uero in pauperes æternam comparant felicitatem.

Angelus Caninius de nominibus Hebræis noui Testamenti derivat à nomine Aman, hoc est, firmare, seu stabilire. Quia diuites suis opibus firmantur, ac stabiluntur, ut multa contra iustitiam, & ueritatem faciant, utque pauperes opprimant, atque insolenter uiuant. Ultimo, Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. ait: Nemo potest duobus dominis seruire, Deo, & Mammona: non pecuniam dicens, sic nude dicit; sed spiritum dicens, que sit à pecunia in uariis uoluptatibus. Existimat ergo, quod Mammona non dicit præcisè diuitias, sed ipsas expensas, ac suppeditata in diuitiis, ac uoluptatibus indulgentis.

Explicata etymologia nominis Mammona, explicandum est etiam quid hic significet. Et tria posse denotare, affirnant Abulensis quæst. 180. Primò accipitur pro avaritia, qua diuitiæ congregantur. Secundò, ut docent etiam D. Palchabus lib. 4. in Marib. citans D. Irenæum, & idem habet. Albert. Magnus, hoc nomen significat Dæmonem, qui tentet homines de avaritia; quia sicut datur quidam dæmon, qui principaliter tentat homines de luxuria, & uocatur Amnodaus, qui occidit septem uiros Saræ filia Raguelis, Tob. 3. n. 8. ita est dæmon, qui principaliter tentat de avaritia, & iste dicitur Mammona. Et ita ait hic Glossa: Per Mammonam intelligitur Diabolus, qui præst diuitiis, non quòd possit eas dare, nisi quando Deus permittit; sed quòd per eas homines fallit. Tertio notant aliqui recentiores, quòd Mammona potest etiam denotare Deum pecuniarum, quam Gentilitas colebat, de qua meminit D. Augustinus 4. de ciuitate Dei, cap. 21. & ait. Gentiles commendabant se Deo honoris, ut honorarentur, Dea pecunia, ut pecuniosi essent.

Quarto, & ualde communiter, per Mammonam intelliguntur diuitiæ, ut hic interpretantur D. Hieronymus, D. Augustinus lib. 2. de sermone Dom. in monte cap. 11. D. Chrysostomus, Euthymias, Theophylactus, Rupertus, Beda, D. Thom. & alij; & qui seruit diuitiis, etiam ut notant D. Augustinus uiratus, sua cupiditate implicatur, Diabolo seruit, & sæpe etiam in eis congregandis, avaritiæ seruit, ut ait Abulensis. Non dicit Dominus diuitias, uel opes; sed Mammonam (ut ad nostram questionem ueniamus;) quia Mammona, juxta varias nominis interpretationes, in principio appositæ, non dicit omnimodò diuitias, sed primò eas denotat, ut absconditas in thesauro, seu secreto loco, seu nimia cupiditate retentæ, & tunc maculam peccati in anima generant; at erogatæ in pauperes æternam felicitatem

tem comparant. In thesauro diuitiæ dantur ærugini, ac tinea: in manibus pauperum à corruptione illarum collocantur in celo. Quod eleganter dicit Chrysologus serm. 137. Ite (scilicet qui abscondit ueltes) sepelit, non reponit, non credit diligentia, sed sepulchris: qui, quod negat pauperi, dat sineis. Quod non datur pauperi, sepulchro, & tinea datur.

Secundò, Angeli explicationi inhærendo; Mammona exprimit diuitias, in quibus firmantur, ac stabiluntur diuites, ut multa iniqua contra regem, ac iustitiam agant, opprimendo pauperes, & humiles. Et in hoc sensu Rodolphus, & Janfenius explicant locum Prov. 10. n. 15. Substantia diuitiis, urbs fortitudinis ejus: pauperum egestas illius. Ita firmantur opibus diuites; ac in ciuitate tutissima, omni murorum, militumque præsidio cincta. Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samaria: optimates capita populorum, ingredientiæ pompatice domum Israël; qui separati estis in diem malum: Amos 6. n. 1. & 3. Ubi conqueritur Deus de diuitibus purpuratis, ut notant D. Hieron. Theodoretus, Hugo, & alij. Et ait de eis: Qui confiditis in monte Samaria. Hi sunt, ut explicat ibi Ribeyras diuites, & superbi, qui spem suam in diuitiis, & potentia collocant. Et ingrediuntur pompatice; hoc est; ueluti auro, & argento. De iis tamen dicitur, quòd sunt separati in diem malum, quòd moraliter potest intelligi de die damnationis; ac captiuitatis æternæ. Sed ualde mirum, quòd, cum Propheta immediate antea cap. 5. usque ad finem n. 2. 6. de grauissimis peccatoribus, ac Idololatriis ageret: Portatis tabernaculum Molochæ uestro; non comminatur eis tantam expressam pœnam in diem malum, ut confidentes in diuitiis affigitur. Merito sanè, hoc est enim grauissimum malum, ut omnibus liqueat, quòd ex repositione spei in opulentia diuitiarum nihil aliud restat, quam dies ultionis, & damnationis repositus.

Tertio, juxta mentem Clementis Alexandrini, non solum dicit diuitias nude sumptas, sed ipsas erogatas, ac expensas in uariis appetituum, ac uoluptatum, & delectationum usus. Ait Angelus Joanni: Veni, & ostendam tibi damnationem meretricis magna, qua sedet super aquas multas, cum qua fornicati Reges terræ. Apocal. 17. n. 1. Et statim ait, Abstulit me in spiritu, & uidi mulierem sedentem super bestiam coccineam; & mulier erat circumdata purpura, & coccino; & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, num. 3. Totus est Angelus ad ostendendam mulierem damnatam. Ad quid ipsa apparcat tota deaurata, & lapidibus pretiosis exornata? Quando aliquis damnatus in publicum prodit conspectum, totus est indutus lugubri, ac squalido poenitentia habitum. Si ista mulier damnata manifestabatur, ad quid omni ditissima suppellectili circumdata incedit. Merito sanè. Nam in ipsamet diuitiarum opulentia, tota in ornatu ad delectationes, & uoluptates expansa, atque data, ut cum omnibus Regibus terræ fornicaretur, ibi damnationis præco alta uoce proclamabat mulierem damnatam ad omnem congeriem tormentorum. Accipe eleganter Tertullian. lib. de cultu faminarum, cap. 12. de hujusmodi mundanis diuitiis loquens. Quid minus habent infelicissima illa publicarum libidinum uictima. Illa ciuitas ualida super plurimas aquas præsidet; cum prostituta à Domino appellata Sylueira in Evang. Tom. 11.

tionem meruisset, quali habitu applationi sua comparata est? Sedet cerè in purpura cum coccino, & auro, & lapide pretioso, qua maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta, & prostituta describi. Expende ultima uerba Sine uanitate usus diuitiarum non potuit ejus maledictio describi; in quibus ejus damnatio erat conscripta.

Ex his ergo satis patet totius questionis solutio. Non dicit Dominus diuitias, sed Mammonam, quia diuitiæ, secundum se, possunt esse bonæ, si ad bonos usus applicentur, ut illis usi sunt Abraham, Isaac, Jacob, & Job. Qui uero opes, ac diuitias possidet ad malum medium, & finem, ut satis est explicatum, hic perit, damnatur, & non potest simul Deo, & Mammona seruire. Pulchrè notauit Ansbertus in supra citata muliere A. ocal. 17. num. 3 dicitur quòd circumdata erat purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso. At de muliere forti, ac sponsa Christi: Stragulatam ueltem fecit sibi, byssis, & purpura indumentum ejus. Proverb. 31. num. 21. Et Psalmista 44. num. 10. Affuit Regina à dextris tuis in ueltem deaurato, circumdata uarietate. Sed quomodo fieri potest, quòd dum proponitur damnatio meretricis dicitur circumdata purpura, & inaurata auro, & sponsa Christi, cum exornata describitur, bysso, & purpura induta, & inaurata auro narratur? Diuitiæ meretricis damnationis præcipitium; nam inde dabatur aditus ad luxuriam, ac licentiosas uoluptates, & ita dicitur, Reges terræ cum ea fornicati; mulier uero diabat charitate in cultum Dei, & in subleuam pauperum, & egenorum. Et ita omnes domesticus ejus ueluti duplicibus: manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem, ibidem num. 20. Quod notauit Ansbertus: Illa, quæ reproborum mala significat, significat bona electorum; cum ea, quæ in parte Ecclesie designant reprobi se habere commendant, de hac meretrice dicitur? Mulier erat circumdata purpura, & coccino, de sponsa uero Christi Salomon loquitur, dicens: Byssis, & purpura indumentum ejus.

Matth. 6. n. 25. Ideo dico uobis: Ne solliciti sitis animæ uestræ, quid manducetis; neque corpori uestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: & corpus plusquam uelamentum.

VERSIONES.

Syriacus. Propterea ego dico uobis; ne solliciti sitis animæ uestræ, quid esuri sitis, & quid bibaturi, nec corpori uestro, qua re sitis induendi.

Varabius. Ne solliciti sitis pro uita uestra, quid edatis, & quid bibatis: neque

Chrylog.

29. Possimum in diuitiis spem ponere.

Rodolph. Janfenius. Prov. 10.

Amos 6. Hieron. Theodo. Hugo. Ribeyra.

Amos 5.

30. Diuitia ad uoluptates data, neciua.

Apoc. 17.

Qui diuitiis uoluptatibus indulget, peccat.

Tertull.

Franc. Luc. De Etymologia nominis mammona. Cornet.

Irenæus. Scholiastes.

26. Angel. Caninius.

Clem. Alex.

27. Quid denotet mammona. Abulens. Palchab.

Albert. Mag.

Glossa.

Angust.

28. Hieron. August. Chrysof. Euthym. Theophyl. Rupert. Beda. D. Thom.

Diuitia non condita non.

31.

Apocal. 17.

Prov. 31. Psalm. 44.

Diuitia in malum usum mortifera. in bonum salu. ifera.

Ansbert.

30. 2 pro